



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLVI. Gregorii Papae I. Ad Clervm Ecclesiae Salonitanae.  
Honoratum ad episcopatum electum fuisse probat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA XLV.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM CALLIPOLITANVM.

De Andrea episcopo, &amp; Matricula verberata.

*Gregorius Ioanni episcopo Callipolitano.*

**E**x gestis quæ ad nos fraternitas tua direxit inuentum  
Est Andream fratrem & coepiscopum nostrum ha-  
buisse sine dubio concubinam. Sed quia incertum est si  
eam in sacro ordine constitutus contigerit, necesse est ut  
eum solicita adhortatione commoneas, vt si positus in sa-  
cro ordine, cum ea se nouit immixtum, ab eo, in quo est  
officio quiescat, & nullatenus administrare præsumat.

Quod si forte conscientius sibi huius rei, peccatum suum sup-  
primens, administrare præsumperit, animæ suæ pericu-  
lum diuino iudicio imminere cognoscat. Matriculam ve-  
ro quam fecit fustibus castigari, quamuis exinde post octo  
menses obiisse non credimus; quia tamen eam contra pro-  
positi sui ordinem huiusmodi fecit affligi, duobus hunc  
mensibus a Missarum solennitate suspende, vt vel hæc  
eum verecundia qualem se de cetero possit exhibere in-  
stituat. Præterea oblata nobis petitione, quæ tenetur in  
subditis, clerici prædicti episcopi multa se mala ab eo sus-  
tinere commemorant. Ob quam rem fraternitas tua sub-  
tiliter cuncta curet addiscere, & ita ea rationabili modo  
emendare atque disponere, vt nulla eis pro hac re huc re-  
meandi de cetero necessitas imponatur.

*Mense Julio, indictione undecima.*

## EPISTOLA XLVI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD CLERVM ECCLESIAE SALONITANÆ.

Honoratum ad episcopatum electum fuisse probat.

*Gregorius clero ecclesiæ Salonitanæ.*

**D**ILECTIONIS vestræ scripta relegentes, electionem  
vos in Honoratum archidiaconum vestrum fecisse  
didicimus, & omnino nobis gratum fuisse cognoscite,  
quod olim expertum virum, & grauem moribus, ad epi-

Iuo p. 10.  
cap. 23.  
Ioan. diac.  
lib. 4. cap.  
27.

scopatus ordinem elegistis. Cuius etiam & nos personam, quia dudum est nobis bene cognita, comprobamus, eumque vobis iuxta desiderium vestrum & nos ordinari voluimus sacerdotem. Pro quaere hortamur vos in eius electione sine aliqua ambiguitate persistere. Nec quædam vos res ab eius debet persona deflectere: quia sicut ista laudabilis nunc probatur electio, ita si, quod absit, dilectionem vestram ab eo quisquam deuiare seduxerit, & animæ vestræ grauamen, & opinioni maculam infidelitatis imponet. Eos vero qui ab electionis vestræ vnitate inconfide- rate discordant, ut vobiscum sentire possint, ab Antoni- no subdiacono nostro fecimus admoneri. Cui etiam de persona Malchi fratris & coepiscopi nostri quid oporteat fieri iampridem iniunximus. Sed quoniam & ipsi scripsimus, credimus eum ab inquietudine vestra sine mora quiescere. Qui si fortasse obedire quocumque modo neglexerit, contumacia eius modis omnibus canonice vltionis districione mulctabitur.

## EPISTOLA XLVII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD COLVMBVM EPISCOPVM NVMDIÆ.

Ne pueri venalitate, vel alicuius potentia ordinentur:  
& de Concilio faciendo.

*Gregorius Columbo episcopo Numidiæ.*

**A**NTEQVAM fraternitatis tuæ scripta susciperem, bo-  
num te Dei famulum esse, nuntiante veridica opinio-  
ne, cognoui: & postquam suscepi, certum fuisse hoc quod  
fama dudum asperferat, plenius intellexi: meritisque tuis  
valde congaudeo, quod testes vitæ laudabilis mores tuos  
& actus ostendis. Hæc ergo quoniam superna tibi sentio  
maiestate collata, gratulor: & Deum creatorem nostrum  
vtique benedico, qui seruis humilibus misericordiæ suæ  
dona non denegat. Qua de re verum fateor, quia sic me  
fraternitas tua ad amorem suum flamma caritatis accen-  
dit, sicque tibi vnitus est meus spiritus, ut & videre te cu-  
piam, & tamen absentem corde semper attendam. Hæc  
igitur ita esse ex te bene consideras. Nam profecto plus in  
caritate animorum vnitatis, quam corporalis potest vene-  
rari